DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
CASUM MEMORABILEM SCITAE ET DESTRUCTIONIS OVARIORUM,

QUAM

ONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XII. M. FEBRUARII A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HRISTIANUS GODOFR. HEIDRICH

FRIBURGO - SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

J. KIRSCHNER, MED. DD.
H. KLAPROTH, MED. CAND.
G. BRAUNE, MED. CAND.

CUM TABULA AENEA.

BEROLINI
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

ERNESTO HORN

ICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI BORUSSORUM A
ILIIS INTIMIS, PROFESSORI P. O. IN UNIVERSITATE
ERARIA ET IN ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA
OLINENSI, COLLEGII LITTERARII PRO RE MEDICA IN
STERIO RERUM ECCLESIAST., SCHOLAST. ET MEDIC.
BRO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE
ITI, MEDICO APUD BEROLINENSES PRACTICO, PLURIUM
ETATUM IN GERMANIA, HELVETIA ET FRANCO-GALLIA
ALI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO, EXPERIENTISSIMO,

DOCTISSIMO

GUILELMO WAGNER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI, HUIUSQUE PROFESSORI PUBL. EXTRAORD. IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI, MEDICO APUD BEROLINENSES, PRACTICO, SOCIETATUM LITTERARIARUM COMPLURIUM SODALI ETC.

PRAECEPTORIBUS ET PATRONIS SUIS

USQUE AD CINERES VENERANDIS

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

D e d i c a t i o.

---

rugum primitiis aras cumulasse Deorum
Antiquos verno tempore, ſama reſert.
ac ratione, quibus debebant omnia, pauca
Ex captis animo restituere pio.

Sic quoque fert Vobis primas, pia munera, fruges
Quas mea phoebea carpsit in arte manus.
Scilicet in sacras Vobis ducentibus aedes
Intravi pythii pergameique Dei.
Parva quidem Vobis nec respondentia reddo
Munera pro meritis muneribusque datis.
Jam scio, me nullis dignas persolvere posse
Grates officiis parque referre pari.
At Vobis aliquod monumentum et pignus amoris
Condere me pietas relligioque iubet.
Ergo sumatis librum per nomina Vestra
Ornatum placide. Sit voluisse satis.

Praefatio.

Quamquam iam multi de ascite et destructione
variorum prostant tractatus, operae tamen pretium
mihi facere videbar, si casum, quem hic in vulgus
do, dissertationis inauguralis materiam sumerem,
redens, nonnulla in eo contineri satis digna, quae
ectoris animum retineant et intendant. Est enim,
ur dubitem, an usquam exemplum morbi descrip-
um inveniatur, quod totum et in omnibus partibus
um hoc casu comparari possit. Qua quidem in re
n iudicium virorum et doctrinae laude clarissimorum
t artis medicae exercitatione peritissimorum provo-
are mihi licet, quorum Cel. Prof. Wagner memo-
are satis sit, de hoc casu 1) aegrota adhuc vivente
aucis exponentem, nec tamen infitias est eundum,

1) Horns Archiv Jahrg. 1824. 1r Bd. 2s Heft pag. 295.

similitudinem quandam in singulis nonnullis rationibus etiam alios casus ascitae consuetum modum excedentes praebuisse. Cum et accuratissimae rerum descriptiones non semper sufficiant, ut materiam tractandam ea, qua par est, luce et claritate impertiant, partem aegrotam exacte delineari, singula quaeque secundum veram suam magnitudinem et formam repraesentari imaginemque eorum aere excusam huic dissertationi adiungi curavi. Id eo magis necessarium esse duxi, quo maior mihi in explicandis distincte describendisque rebus parum exercitato erat causa timendi, ne iustam evidentiam et planitatem lector desideret et in obscuro versetur. Nec minus meum esse autumavi, plures allegare autores de eadem materia exponentes, ut, si quis forte in posterum diligentius in hanc rem inquirere eamque tractare in animo haberet, ei in consulendis ac conferendis aliorum libris aliquid levaminis afferrem. Quòd vero locos citatos continua serie posui, id non sine causa est factum, siquidem non accurate singula in locis citatis cum singulis casus a me relati componi possunt, neque tamen levior eorum commemoratio rem totam diligentius contemplanti mihi supervacua esse videbatur.

Libri, qui de hac materia comparari possunt.

Needham, de formato foetu disquisitio. Lond. 1668. pag. 12 et 35.

Grew, Museum Regalis societatis etc. by Nehem Grew. Lond. 1681. fol. 34.

Theophili Boneti, Anatomia practica. Libr. III. Sect. XXI. observ. LV. §. 10 — 24. observ. LVI et LX.

In Additamentis eius observ. XXV. XXXIX. XL. XLVII L. LXX. LXXI. LXXII et LXXVII.

Ephemeridum Germanicarum MDCXCI. Dec. II, A. IX. observ. CXXXVI. pag. 234 et Dec. II. A. X. observ. XXVII. pag. 66.

Sloane, Trans. philos. Tom. II. No. 252. pag. 150.

Sampson, Ibid. Tom. XII. No. 140. pag. 1000.

Turner, Ibid. Tom. XVIII. N. 207. pag. 20.

Belchier, Ibid. N. 423. pag. 729.

Verney jun. Histoire de l'Acad. Roy. des sciences.

Schencke, Observ. med. libr. III. observ. 6.

Morgagni, De sedibus et causis morborum epist. LII. art. IV. pag. 298 et epist. LXVIII. art. VI. pag. 443.

Morand, Memoire de l'Acad. de chirurgie Vol. II. pag. 458.

De Haller, Opuscula pathologica. pag 108 et 325.

Imhof, Haller collect. dispp. patholog. Tom. IV. pag 377.

Tullii observationes medicae. MDCCLXX.

De Haen, Ratio medendi P. IV. cap. III. pag. 67. P. V. pag. 44 et 53. P. VI. pag. 36 — 43. P. VII. cap. III. pag. 110. P. XI. pag. 206—229.

Lieutaud, historia anatomico-medica. pag. 343 et 347.

Acta Helvetica Vol. I. Append. pag. 1.

Acta Soc. Med. Havniensis Vol. I. pag. 148.

Soc. Med. Havniensis Collectanea Vol. II. p. 120.

Peter Frank, Epitome de curandis hominum morbis. P. VI. pag. 103.

Franz Salvator Morand, Vermischte chirurgische Schriften a. d. Franz. Leipz. 1776. pag. 394.

Edinburgische Versuche. Bd. V. 73. Artikel.

Hunter, Medizinische Bemerkungen u. Untersuchungen, deutsch übers. Bd. 2. pag 38.

J. N. Thomann, Annalen der klinischen Anstalt im Julius-Hospital zu Würzburg 1801.

Mohrenheim, Wienersche Beiträge zur practischen Arzneikunde, Wundarzneikunst und Geburtshülfe. Bd. II. pag. 398.

Sammlung auserlesener Abhandlungen für practische Aerzte. Bd. XI. pag. 511. 659 u. 732.

Fried. Aug. Weiz, Neue Auszüge aus Dissertationen für Wundärzte. 1774. pag. 94.

Schwedische academische Abhandlungen. 1769. pag. 111.

Hufeland's Journal der practischen Heilkunde. Bd. I. pag. 266 und 276. Bd. II. pag. 119. 376. 480. 532. Bd. XXIV. 4. Heft. pag. 72. Bd. XXV. 1. Heft. pag. 101. 2. Heft. pag. 194 und 202. Bd. XXXI. 5. Heft. pag. 63. Bd. XXXVI. 1. Heft. pag. 121. Bd. XXXXV. 1. Heft. Bd. L. 5. Stück.

Horns Archiv für medizinische Erfahrung.

Jahrg. 1802. Bd. II. 3. Heft pag. 961. Jahrg. 1806. Bd. IX. 1. Heft pag. 62. 79. 201. 286. 330.

Jahrg. 1807. Bd. II. 2. Heft. pag. 311. u. Bd. III. 2. Heft. pag. 266.

Jahrg. 1811. Bd. II. 3. Heft pag. 452.

— 1813. Bd. I. 2. Heft pag 161. u. 3. Heft. pag. 485.

— 1815. Bd. II. 4. Heft pag. 707. u. 6. Heft. p. 1010.

— 1816. Bd. I. 2. Heft pag. 259. 278. 342. u. 368.

— 1822. Bd. I. 3. Heft pag. 511.

— 1823. Bd. II. 2. Heft pag. 295. und 3. Heft pag. 528 und 535.

Johanna Ballen quadraginta tres annos nata, parva statura, e parentibus orta, qui, quantum ipsa in eorum memoriam regredi potuit, nunquam graviori aegrotatione laboraverant, morbos, quibus aetas infantilis infestari solet, morbillos, scarlatinam et ipsas variolas veras, mediocri tantum vi eam invadentes, ex facili superaverat, neque serius molestiores corporis affectiones in conspectum venerant, quae morbi secundarii haberi potuissent. Anno aetatis decimo tertio menstruae purgationes apparuere, neque antecedentibus neque sequentibus maioris momenti incommodis, semperque legi naturae obedierunt.

Cum annum vicesimum tertium excessisset, quousque semper optima valetudine gavisa erat, nupsit magistro navis, quocum plura itinera maritima in Galliam, Angliam aliasque terras fecit, in quibus multos labores exantlare coacta erat, neque tamen nisi semel vehementiore vexabatur morbo, forte aliquando in aquam delapsa, sed post spatium quinque septimanarum in pristinam salutem est reducta.

Medicus, qui tum temporis eius sanandae curam habuerat, huncce morbum febrem acutam nominasse ab ea dicebatur, quacum inflammatoriam organorum abdominalium affectionem consociatam fuisse veri simile est, cum aegrota vehementibus in illa regione vexaretur doloribus. Quae quidem opinio eo fit probabilior, quod in illa aegrotatione non solum sanguis mittebatur, sed etiam remedia laxantia in usum vocabantur. Maritus eius, cum circiter octo annos ei esset nupta, haud procul a Londino in mare delapsus periit. Primis quinque annis ex eo tres infantes peperit, qui, quamquam in universum satis facile partus enitebatur, omnes post breve morte defuncti sunt. Cuius quidem praematurae mortis peculiaris eorum debilitas causam sustinere videbatur. Paulo post obitum coniugis, qui eam in re admodum tenui reliquerat, coacta fuit in patriam redire et se contulit Stettinum, ubi nata fuit. Hic victum manuum operibus sibi comparabat et universe bene valebat, praeterquam quod obstructionibus abdominalibus nonnunquam tentabatur, quibus haud raro gravitas quaedam aliique ingrati sensus in alvo succedebant; neque tamen contra haec periodice incidentia mala medicaminibus ullis est usa. Menstrua his annis etiam saepissime modo fluxere regulae non conveniente, ita ut interdum bis terve plane deessent, tunc vero pluries deinceps quarto de imo quoque die largissima fluxione redirent. Anno MDCCCXVI circiter festo in memoriam Ioannis instituto haec Ballen de plaustro decidit, simulque vehementis imo ictu in abdomine est afflicta,

ita ut atroces dolores ibi sentiret, quibus diutius continentibus ad usum medicaminum quorundam commota est. Quo facto dolores quidem evanuerunt, sed jam observavit, abdomen sensim extumescere et volumine augeri. Medicus, quem in consilium adhibuit, hydrope eam laborare professus est. Cum ipsa esset in egestate nec ob rerum suarum angustias haberet, qui eam in sanatione adhibenda foveret et res necessarias ad victum ministraret, id actum est et paratum, ut in nosocomio Caritatis Berolinensi exciperetur, quo conferri aegrota eo cupidius appetebat, quod fortuito cognitionem aliquam de malo similium affectionum morbosarum exitu nacta se vel non perfectam sanitatem vel, si res bene et ex optato cederet, meliorem quidem, sed eam serissime recuperaturam opinabatur. Tertio die Octobris ejusdem anni revera Berolini advenit et in nosocomio Caritatis recepta est.

Summa eorum, quae ex diligenti aegrotae exploratione comperta sunt, hydropis saccati suspicionem moverunt, quam posthac etiam observationes signorum magis magisque confirmarunt. Inaequalis intumescentia abdominis in paucis tempestatibus augescebat incrementis insignibus, ita ut spiritus difficillime mearet, et anxietas, nausea, et ipse minorem in modum vomitus praecipue cibis potibusque sumtis invaderent eam; ceterum vero nullis tentabatur doloribus. Iam cum adhibitis diversis remediis malum atrocius semper ingravesceret, paracentesin facere medicis est visum, quam lubentissimo animo valetudinaria permisit, quippe quae cer-

m spem in eius eventu repositam haberet et quam imum ab onere suo in dies crescente liberari cu-ret. Decimo sexto post receptionem die paracente-s vere est instituta; plus quam sedecim mensurae erolinenses (quarum quaeque tribus libris medicis el triginta sex unciis aequatur) humoris clari edu-bantur cum lotio pallido secundum indicium ae-rotae optime comparabilis. Quo facto mulier mi-um in modum se sublevatam sensit, nisi quod agna lassitudo plures adhuc dies lecto affixam eam nuit. Virium firmitate paulatim redeunte ardentis-ma fame veraque bulimia cruciabatur, quae ita ivalescebat, ut copia ciborum ter quaterve maiore neretur, quam qua sana indigebat. Devorata qui-em aliqua esculentorum copia, acerbissimus hic ensus aliquantum placabatur, sed post breve tem-us cum eadem vehementia redibat, perinde ac si ihil sumsisset, qua de causa velis remisque eo eni-ebatur, ut sibi compararet alimenta. Neque pecu-iari aliqua certorum ciborum appetitu ducebatur, ed, ut ipsa dixit, quibuscunque potiri poterat edu-ibus, ea cum summa corporis voluptate devorabat. Sin vero haec fames non explebatur, tremor artuum oboriebatur et status animi deliquio haud dissimilis. Decrevit quidem post tempus octo vel decem dierum haec ingens edendi lubido, sed diu permansit ea, quae inusitata nominari posset. Pro ratione sumto-rum alimentorum alvi deiectiones iusto parciores fuisse dixit. Sitis aegrotae etiam illo tempore erat magna, nequaquam tamen, ut esuries, modum excessit. Urinae excretio non respondebat copiae eorum,

quae biberat. Paracentesi adhibita consilium medendi huic casui accommodatum instruebatur et potissimum ad cutis plane suppressam et urinae valde diminutam secretionem habebatur respectus, ut celeris aquarum collectio, quantum fieri posset, praecaveretur. Quamquam medicamina praescripta efficaciam in functiones organorum affectorum quodammodo exhiberent, tamen citissime recens liquoris copia se collegit, nam interiectis sex septimanis abdomen fere ad ambitum priorem, sed inaequaliter, intumuerat, et punctione iterum erat opus, quam renovari aegrota ipsa ob vehementes, a quibus cruciabatur, affectiones enixe efflagitavit. Hac facta magna quidem rursus eam urgebat fames, nec tanta tamen, quanta prius, nec tam continens.

Humorum collectio porro semper brevioribus intervallis se renovabat, ita quidem, ut per aliquod tempus numerus evacuationum paribus spatiis adhibendarum aliquantum sibi constaret, deinde vero interiectis minoribus spatiis punctio iterari deberet. Quam quidem temporis rationem morbus ita sequi perrexit, ut ultimis annis aquarum collectarum eductio quaque septimana esset necessaria et usque ad XXIII Sept. anni MDCCCXXIV, quo die aegrota morte defuncta est, ergo intra octo annos, ducentae nonaginta novem punctiones instituerentur.

Copia fluidi egesti prioribus annis fere semper sibi respondit, duodenas mensuras Berolinenses explere solita vel plures; duobus annis posterioribus evacuatorum copia semper erat inter novem et un-

decim mensuras. Sin ergo quamque punctionem omnibus inter se collatis undecim mensuras Berolinenses exonerasse ponimus, nec hunc numerum secundum rationes allatas nimium esse aestimamus, summa fluidorum, quae ex hac femina artis ope per spatium octo annorum detracta sunt, efficit ter mille ducentas octoginta novem mensuras, vel novies mille octingentas sexaginta septem libras medicas.

Prioribus annis aegra auxilium chirurgicum aliquot dies potuit prolatare, praesertim si calida siccaque tempestate modica corporis utebatur exercitatione; interdum vero paracentesis etiam plures dies ante solitum tempus applicabatur, quod coeli statu uvido diu et frigido esse consuevit. Posterioribus quatuor annis, per quos Exper. Dr. Sproegel operationem perfecit, vix una die auxilium chirurgicum differre potuit, quod si ultimo anno impedimentis forte aliquibus moram inferentibus una die serius praestabatur, nullus modus erat querelis eius de molestiis, quibus infestatam se esse aiebat. Cum Exper. Dr. Sproegel quovis die ad Illustr. Horn se conferret, quocum in una domo aegrota habitabat, ipsa semper certo die tempus operationis adesse monuit, ne quo forte errore in posterum diem differretur. Facta fluidorum eductione animo erat laetissimo et lassitudine, qua tunc semper languebat, unum diem acquiescere solita est, deinde rursus negotia non ita operosa sine magnis incommodis procuravit, quid quod vias haud breves pedibus ire potuit. Femina haec, quamdiu hoc malo laborabat, nunquam

per longum et continuum tempus lectulo erat affixa, nonnunquam tamen molesti pressionis cujusdam et gravitatis in abdomine sensus ei incommodabant, quibus haud raro signa digestionis turbatae accedebant vel succedebant. Quibus incommodis auferendis in longius breviusve tempus remedia diaphoretica, diuretica et amara plerumque sufficiebant; sudorem vero et urinam pellentia medicamina, ne prorsus spem boni alicuius affectus deciperent, largioribus dosibus erant suppeditanda.

Inter has modo allatas morbi vicissitudines aegrota sua conditione contenta erat, saepe adeo magnam animi hilaritatem ostendebat, ad quam iniiciendam subsidia et beneficia, quibus ab aliis adiuta vitae sustentandae curis supersedebat, haud parum contulisse veri simile est.

Die XIII Sept. anni MDCCCXXIV prima apparuerunt signa, quae vitam in summum discrimen vocatam esse indicarunt. Conquesta enim est aegrota de magna nausea et vomitu, atrocibusque per totum abdomen doloribus; lingua erat calida et sicca, sitis vehemens, pulsus plenus et frequens, alvus adstricta et urina parce effluens rubro calore tincta. Quae quidem omnia manifesto monstrarunt, organa abdominis affectione inflammatoria correpta esse, qua de causa Illustr. Horn, qui eam iam antea in nosocomio Caritatis tractaverat et serius saepe ab ea consulebatur, curationem antiphlogisticam constitutioni aegri corporis ceterisque rationibus accommodatam per Exper. Dr. Sproegel institui curavit. Inde tam universales quam locales sanguinis destrac-

iones, emulsiones oleosae, alvum solventes etc. usurpatae sunt, quarum viribus vomitus quidem et reliquorum symptomatum vehementia cessit, sed quarto die pessimo sapore capiebatur, qui saepe horrore eam perfudit nec quicquam ori ingeri passus est; quibuscunque nim frui tentabat, ea statim vomitu reddita sunt. Inde factum est, ut vires magis magisque decrescerent, praesertim cum nec per diem nec per noctem llus eam somnus amplecteretur. Ad haec septimo ie etiam accessit diarrhoea colliquativa. Doses refractae Opii aromaticaeque fomentationes abdomini admotae miserandum hunc aegrotae statum paullo quidem reddidere tolerabiliorem, ut vel cibi fluidi liquid postero die posset consumere, sed viribus lus plusque debilitata et fracta est, deliria placida atusque animi deliquiis similes inciderunt, quibus reciprocatis et increbescentibus die supra allato aegrota vita decessit. Corpus defunctae praesente Illustr' orn, a Viris Exper. Dr. Schlemm, Universitatis, uae hic floret, Prosectore et Dr. Sproegel dissecum est, quibus et mea opera praesto fuit. Inquisitio haec monstravit.

Facies collapsa, oculi concavi, extremitates superiores pro ratione ceterarum partium parum emaceratae, inferiores vero tumore oedematoso aliquantum inflatae. Totum abdominis volumen admodum erat auctum et in regione umbilicali paulo inferius versus sinistrum latus eminentia observabatur, quae digito tangenti fere elasticam se praebuit. In hunc pergens praecipue laevam regionem iliacam replens tumor se obtulit durissimus, qui anteriori

parti ossis ilei insidebat. Simile corpus in eadem regione lateris dextri tangebatur, neque tamen tanta, quanta illud, se manifestabat duritie.

Patefacta abdominis cavitate primum magnā copia humoris subflavi turbidi, deinde vero paene purulenti effluxit. Tunc massa gelatinosa in conspectum venit majorem ejus regionis partem explens, in qua secundum consuetum ordinem naturae omentum gastrocolicum positum est, cujus fere nihil in hoc casu animadvertendum erat. Haec massa per totum suum ambitum tam peritonaeo multipliciter densato quam maxima ex parte superficiei intestinorum adhaesit. In vicinia umbilici ea erat densissima et intestina sursum presserat. Pluribus in eam factis incisionibus ante oculos posita est tela membranacea, quae magnam multitudinem cavernarum variae magnitudinis et commercium inter se habentium formare videbatur, e quibus humor purulentus prodiit. Cum materia interiorum ejus partium nimis esset dissolubilis, fere putrida, haud accuratius illa massa explorari potuit. Remota ea duo magna corpora se repraesentarunt; erant ovaria morbose mutata, quae exsecta cum utero intime accreto et vagina uno sequentium dierum a Viris Cell. Professore Wagner, et Dr. Schlemm me praesente diligentiori investigationi submissa sunt, qua quid repertum sit, hic opportuno loco poni credo.

Praeter aliquam, de qua infra locuturus sum, ovarii sinistri proprietatem utrumque formā fuit fere globosa matricemque in medio habuit tanquam vinculum arcte coniungens, ita ut quaeque pars

ius lateralis in ovarium sui lateris tota abiret, et andem materiae naturam sibi quasi vindicaret. Quam b rem, ubi pro ratione magnitudinis uteri in femina, quae plures partus enixa est, parenchyma illius ontinuari solet, signum eius inventum est nullum. ledia uteri pars consueto erat durior et aliquantum eformata; in cavitate plures excrescentiae polyposae xstiterunt, quarum forma et magnitudo in tabula enea repraesentatae sunt. Tubarum et lingamentoum latorum ne vestigium quidem erat reliquum, quidem ea prorsus cum massa, quae ovaria repraeentabat, in unum coaluerant, nec omnino vel miimae canalis cum cavo uteri via aliqua commerum habentis reliquiae erant detegendae, quae illa iquando adfuisse indicarent. In ea ovarii sinistri arte, quae ad superiorem ossis ilei superficiem vert, ossificatio conspicua fuit veram capsulam repraeentans, aqua plenam, cuius fundus et pars interna ortione ossea aspera constituebatur, externa vero et aior pars conchae speciem habebat. Huius ossificatiis circuitus abibat in massam cartilaginosam, quae agis magisque mollescens in dura membrana ovai evanuit. Incisione in medium hoc ovarium facta paruit massa steatomatosa glebosa duriorque, aeterea ob miram suam, quae in loco persecto obrvabatur, crassitudinem et densitatem membrana am massam circumcludens digna est, quae memotur.

Ovarium dextrum externa forma erat prorsus quale et tactu mollius, quam sinistrum. Facta in ,, ut in laevum, incisione perpendiculari pariter

atque in illo massa lardo similis inventa est, sed mollior, uno glomo magnitudine inter ceteros eminente.

Pondus utriusque ovarii cum utero superavit tredecim libras medicas. Ventriculus non libratam, in qua ex regula situs est, habuit positionem, sed inclinatus erat in perpendicularem.

Tam tenuia quam crassa intestina non solum, ut iam supra diximus, e sede sua erant demota et accreta, sed pluribus etiam locis coarctata vel in ambitu suo, praecipue intestinum coecum, flexura secunda coli et S romanum, dilatata. Tractus intestinalis nonnullis in locis conspiciebatur decolor, vasa eius multo sanguine erant repleta.

Magnitudo iecinoris admodum erat aucta, parenchyma eius mirifice emollitum et maceratum, ut facile digitis posset elidi.

Lien mollem se praestitit ac maceratum, materia parum exaggerata.

Vesica urinaria in conspectum cecidit minima, membranis valde condensatis.

Renes laxissimi et substantia corticalis pallidissima, praeterea nihil, quod esset contra legem naturae, in iis occurrit.

In cavitate pectoris inquirenda pulmones se exhibuere optime valentes nec minima quidem cum pleura concretio oculis se obtulit.

Cordis parenchyma laxissimum fuit, parietesque eius tenuissimi.

Praeterea nihil alieni in organis huius cavitatis potuit detegi.

Explicatio imaginis tabula aenea expressae.

a. Vagina.
b. Uterus.
c. Excrescentiae polyposae in cavitate uteri.
d. Ovarium dexterum.
e. Ovarium sinistrum.
f. f. Massa steatomatosa et glebosa in ovariis.
g. Capsula aquam continens in ovario sinistro.

VITAE CURRICULUM.

Ego Christianus Godofredus Heidrich Friburgi Silesiae oppido inferioris die XXIII mensis Sept. a. MDCCXCVI patre medico, matre e gente Meyeriana, natus sum.

Literarum rudimentis in schola Rohnstockiensi praeceptore Hillmero et duce Meisnero, rerum sacrarum ministro, imbutus sum. Deinde etiam scholam, quae Friburgi floret, frequentavi et praeterea a Fullero, Rectore edoctus sum. Disciplinis, quibus aetas iuvenilis imbui solet, instructus quum animum ad Medicinae et Chirurgiae studium appulissem, occasionem has artes in vulneratis tractandi, quam bellum anno MDCCCXIII mihi obtulit, non neglexi, et nonnullas notiones, praecipue ad Chirurgiam pertinentes, mihi comparavi. Ut in bello sacro a MDCCCXV iterum exorto, quamquam tunc temporis in re medica minus versatus, ad patriae salutem aliquid conferrem, chirurgi munere in exercitu borussico de mea voluntate functus sum.

Anno MDCCCXX in Universitatem Berolinensem me contuli, ubi die XV mensis Octobris a Viro Illustr. Lichtenstein t. t. Rectore Magnifico, in civium academicorum numerum receptus atque a Decano spectabili Illust. Rudolphi Facultati medicae adscriptus sum. Deinde horum praeceptorum scholas frequentavi:

De Geographia universali Cel. Ritter, de elementis Philosophiae Exper. Fichte, de Logice et Metaphysice Illust. Hegel, de Physice experimentali Cel. Turte, de Chemia universali Illust. Hermbstaedt, de Magnetismo, Electricitate et Athmosphaerologia meteorologica Illust. Erman, de Botanice et historia naturali generali Illust. Link, de Encyclopaedia et Methodologia medica, de Anatomia corporis humani sani, de Anatomia pathologica, comparata, organorum sensuum, Osteologia, Splanchnologia, Syndesmologia Illust. Rudolphi et Illustr. Knape. Artem cadavera dissecandi, Illust. Rudolphi: et Illustr. Knape me docuerunt. Porro audivi de Physiologia generali et speciali Cel. Eck, de Pathologia generali et speciali et Semiotice Illust. Horn, Cel. Frdr. Hufeland et Cel. Wagner, de Pharmacologia pharmaceutica et medica Illust. Link, de Materia medica generali et speciali Illustr. de Koenen, Cel. Osann et Cel. Wagner, de Macrobiotice Illustr. C. W. Hufeland; de Therapia generali Cel. Wagner, de Therapia speciali Illustr. Hufeland, Illustr. Horn et Cel. Wagner, de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis, militum et mentis Illustr. Horn, de chirurgia generali et speciali, ossibus fractis et luxatis, arte fascias impo-

ndi Illustr. Rust, Cel. Kluge et Cel. Jüngken Cursu omnium operationum chirurgicarum et hthalmologia Illustr. Graefe, de medicina forensi, litia medica, auxilio in asphyxia et repentinis vi- periculis ferendo Cel. Wagner, de arte obstetri- Illustr. de Siebold et Cel. Kluge. Denique insti- tiones clinicas Virorum Illust. Hufeland, Berends ust, Graefe et Neumann frequentavi.

Quibus praeceptoribus optime de me meritis data hac occasione non possum non maximas gra- s agere pollicerique, me nunquam beneficiorum iis in me collatorum memoriam ex animo esse missurum.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram atiosa Facultate medica rite absolutis et hac dis- rtatione palam defensa, spero fore, ut summi in raque medicina honores mihi impertiantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Frictiones in hydrope prosunt.

II.

Hydrops plerumque est morbus secundarius.

III.

In urethritide (gonorrhoea sic dicta) omnes iniectiones maxime nocent.

IV.

In morbis animi derivatio ad abdomen est magni momenti.

V.

Pulsus sine aliis signis pathognomonicis morbi indolem non satis indicat.

VI.


Signa virginitatis omnia fallunt.

VII.

Ad aneurysma sanandum compressorii usus est reiiciendus.

VIII.

Extractio et discisio lentis crystallinae ad cataractam tollendam sunt optimae methodi.



f
f
b
e
d
c.
g
a
W. Anstalt del
F. Guimpel sculp.